



# Disputatio philosophica inauguralis de auditu

<https://hdl.handle.net/1874/345779>

DISPUTATIO PHILOSOPHICA  
INAUGURALIS,  
DE  
**AUDITU,**

*Quam,*  
FAVENTE NUMINE,  
Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,  
**D. JOHANNIS LEUSDEN,**

Philosophiae Doctoris, & Linguæ Sanctæ in Illustri  
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON  
Amplissimi Senatus Academicus Consensu, & Subtilissimo  
Facultatis PHILOSOPHICÆ Decreto,  
Pro DOCTORATUS in PHILOSOPHIA GRADU, & ARTIUM LIBE-  
RALIUM MAGISTERIO, omnibusque prærogativis ritè  
ac legitimè consequendis,

I Publicè oculis ac auribus censorius offert 2  
**GOEDTHARD BORGESIUS, GRONING.**  
Ad diem 18. DECEMBRIS, horis locoque solitus.



TRAJECTI ad RHENUM,  
Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clc xciiii,

*Illustribus, Nobilibusque*

*Urbis Patriæ Consulibus*

D. D. RENATO BUSCH, h. t. Præsidi,

D. D. JOHANNI van JULSINGA,

D. D. JOHANNI de DREUWS,

D. D. SICCONI EECCK,

T O T I Q U E

S E N A T U I

G R O N I N G A N O

A M P L I S S I M O.

*Viris cedro dignissimis*

*se suaque sacra facit*

*GOEDTHARD BORGESIUS.*

*Ex Officina FRANCISCI HALMA, Accedit  
Typographia, et Iosephini*

D I S P U T A T I O P H I L O S O P H I C A.

**A**UDI T U.  
T H E S I S I.



Atura sensus cum intelligi nequeat absque prævia organi cognitione, auris, abstrusissimum illud auditus organum, vellicanda erit, sed absque vulneribus. Est hæc externa ac interna: Illa ex carne & cartilagine, ne sonum debilitaret: Præter helicem, anthelicem, concham habet, externam cavitatem, à forma tortuosa conchilarumque in modum anfractuosa denominatam: ubi cerumen, *πύρων εὐ τοῖς ὀτι* cum Hippocr.: Quod quidam a carne quadam glandulosa derivant: quidam ab exsudantibus arteriolis: forsitan ab effluviis. Quicquid sit nec hoc frustra summus protoplastes, sed irreptantia animalcula arceat ingressu, voluit. Nec non cum trago piloso antitragum, lobum partem inferiorem continet molli ac spongiosa carne. Vasa adsunt omnis generis, nervi, vena & arteriolæ a jugularibus carotidibusque, musculi quatuor dilatandæ inservientes conchæ, quos delineamenta quædam muscularum dicit Galenus ob parvitatem; nec enim movendis auribus sufficiunt. Usus externæ auris est sonum in sinu suo congregare, excipere ac apte ad interiora deferre; male audiencibus quibus ut Oropalstæ apud Persas utraque infelici cultello præcisa auris. Imo sèpius alterâ abscissâ & socia, ob nescio qualem convenientiam, nisi obturetur, usum suum suo negabit domino.

II. In interna aure tympani membranula cum ossiculis est, (quæ aliis a periostio, aliis a pericranio, aliis quinti paris ramus expansus) subtilis ac sicca, secus pro vario gradu surdastriam & surditatem inducens, satis exquisiti sensus, ut pungentes haud ferat humores. Hæc sonum excipit, sed ipsum non esse auditus Organum, hi probare videntur qui canes hanc perforatam habentes ipsi capitulo custodiendo devovere aude-

## DISPUTATIO PHILOSOPHICA

4 A.D. 111. rent. Et in surdis nonnullis experimur, hos, inter rei magis sonoræ strepitum, intelligere, nutu linguaque respondere rogatis, illoque perfecto, nec hoc illudve percipere, cum laxior membrana suo munere fungi possit si validius afficiatur. Ossicula quatuor numerant anatomici recentiores, malleum, incudem, stapedem ac orbiculare nuper Inventum, que magna ac perfecta in modo natuſ quam adultis præter solam duritatem. Periostio plane carent, solers enim natura; cum corpora molli integumento insonora judicaret, hisce negavit quæ in cæteris omnibus luſtrante aspicit oculo. Præter stapedis musculum cum externo internus pedunculo malleoli inseritur musculus: pedunculus autem firmiter cum tympani membranula cohærens, hanc varie intendit ac remittit.

III. Demum tympani prima cavitas, omnium maxima, principio ossis petroſi inſculpta, antrum puriore repletum aëre; ubi præter cætera in palatum absens foramen, ne novus unquam desideretur aér, ut quidam: vel ut per hoc fordes ac superfluæ lymphæ &c. ejificantur; & hoc sonantes admittere particulas docet surdorum quorundam exemplum, qui testudinem dentibus tenentes per os audiunt. Altera cavitas labyrinthus est, priori minor, ob varios anfractus. Cochlea omnium minima, τυφλὸν τρῆνα Galeno, cochlearum gyros affabre exprimit ac venulis suis secreta labyrinthi perambulat. Nervus acousticus quintum veteribus, septimum par recentioribus. In piscibus autem nec tympanum, nec ossicula, nec hi ductus deprehenduntur, ac in variis ne externum quidem foramen, ut de Delphino Aristoteles. Cæterum particulae sono dicatae, per tot anfractus varie reflexæ ad auris properant penetralia, ac ex tympani membrana malleolo, jam incidi, mox stapedi (cujus porosior substantia) communicantur, ac per foramen ovale, cui stapes inhæret, feruntur in canales labyrinthi semicirculares: De hinc in laminam cochleæ spiralem, per quam expanditur nervus auditorius, hæ cum ibi sistantur, conciunt ac temere faciunt os petrosum, quæ concussio per nervum auditum ad mentem defertur, eique repræsentatur.

IV. Hæc tenus de Organo: quod cum absque objecto inutile, hoc cum omnibus è tripode sono deferemus, quem Pythagoras, Plato, Aristoteles &c. incorporeum quid dixerit: contrarium cum Epicuro Stoici. Præclare autem Lucr. lib. 4.

*Corpoream quoque enim vocem constare fatendum est;*

*Et sonitum, quoniam possunt impellere sensus.*

*Præterrudit enim vox fauces scœpæ, facitque*

*A. 111.*

## INAUGURALIS.

Asperiora foris gradiens arteria clamor.  
Quippe, per angustum turba majore coorta  
Ire foras ubi cuperunt primordia vocum:  
Scilicet expletis, quoque janua raditnr oris.  
Hanc igitur dubium est, quin voces, verbaque consensu  
Corporeis è principiis, ut ladere possint.

V. Saltem in eo convenient quod corpus dixit sit aëris. Anaxagoras sonum vel aërem vel aëris affectionem dicit. Plato acrem & validam aëris percussione. Epicurus in Epist. ad Herod. aërem emissum. Stoici iustum aëris. Aristoteles addit & aquam, auditus in aëre & in aqua sed minus & Paulo post: Auditus connaturalis est aëri, propterea quod in aëre est, moro exterior, que intra est, maretur. Quibus adstipulatur Cartesius dicendo: Duo alii nervi in intimis aurium cavernis reconditi excipiunt tremulos & vibratos totius aëris circumiacentis motus, aëris enim membranula tympani concutiens, subunctam trium ossiculorum catenulam, cui isti nervi adharent, simul qualit, a que ab horum motuum diversitate diversorum sonorum sensus oriuntur.

VI. Nec novi fere qui hisce non assentitur: Assentiantur omnes, Ego negabo. Fallit Anaxagoras: Fallit Plato: Fallit Aristoteles cum suis asseclis: Fallit Epicurus: Fallunt it, qui in gōz differere solebant: Falluntur cum Cartesio omnes Philosophi. Unica ratio, quæ se Corona veritatis ornatam videt miratur, tot maximorum ingeniorum viros in ventosum aërem oculos habuisse intentos; nec secus quid sibi persuasissæ, quam Pandoræ Cistellæ ipsam inclusam gerere veritatem, quam circum tulere; remoto autem operculo, En vacum & præter aërem nihil: sic somniantum munita metalla manus occlusas videbis, quasi quid tenerent pretiosum, ablatis vero oculorum vaporibus obstupescunt se aërem comprehensum habuisse, ac, ut vulgo dicitur, aërem verberasse. Æthiopem lavat, qui aërem verberat, sed is aërem verberat, qui putat se aërem verberando, sonum edere.

VII. Dum sonum quis tribuit aëri, simul motum tribuat eidem oportet: Campanæ, cum vibretur per aërem, candelam si applices, ne minimam illius senties nutationem flammulæ, quæ alias ad quamvis motunculam reclinabit. Aërem tripedalem posse penetrare parietem nec inter Cyclopes creditur; concludatur quis parietibus undique, quæ foras aguntur audiri nullus ibit insicias. Anxie transitum aëris possibilem vel non possibilem inquirere vix operæ pretium est; Præter hoc quod lice-

## DISPUTATIO PHILOSOPHICA

meridiana clarius, non dari in pariete poros rectilineos, novit is qui clausis fenestris per parietes solis exspectans radios, se cimieris obrutum videt tenebris, nisi forsitan Argonautarum Lynceus denuo vivis annumerare daretur, vel ipsius sibi mutuo quis petiisset oculos. Aër autem transiens, continua pororum anfractuositate varie reflectens, sive ipse ille aëris percussus ad alios perveniat, vel alius ab impingeat tactus, pro varia reflectione quæ hic dabitur, varius orietur procul dubio motus, cessante plane priore illa aëris modificatione ac dispositione, ut nil praeter inarticulatum restet. Gratis ad tremorem soli configunt eruditi; tremat licet, nec hinc distincta soni representatio sed tremoris solius: nec tremere solum sola voce novit unus quisque. Non mirum ergo si variis iisse extricare ignorantes incorporeum dixerint sonum.

VIII. Recipienti si inclusum sit horologium vel sonorum quid, hoc que Hermetis sigillo clausum, audiet facile quilibet adstanti pulsantem machinam: at aërem poros vitri, non transire ipsis innotuit mulierculis, quæ sua lagenis recondunt vitreis, ut aëris corrupiens arceatur. Nec ipsi hoc dubium erit qui recipiens tale lymphâ replere agreditur, ac studiose aëris præcaveat egressum: en cum strepitu vicinum suis minutis ferret aërem. Certo signo vitrum ipsi aëri negare transitum, usque dum suo impetu sibi exitum paret.

IX. Nec probabile minutissima hæc foramina igni adæquata aërem transmittere asteristicum, cui vix posset ob vim elasticam ingressu hæterogenearum eadem cum cæteris tribui quantitas, ne corpora plura in uno ac eodem loco statu' deberent. Si autem unquam penetraret aëris, tum penetraret, cum in recipienti vacuum miraretur natura: at hoc haud accurate rotundum, eventum priori non dissimilem habebit. In Alembico cuius rostrum hermetice clausum, si aëris extrahatur, non erit quin maximo fragore diffingatur vas. Nato foramine admissus aëris tanto ingredietur furore, ut obvium omne secum rapiat: animali vicino nimium iniquus. At volens nolens colligo, cum sciām sonum per vitra transire, quod aërem repellit, hunc auditus non esse medium.

X. Vel si perfracte dicta neget, quod vix possibile dicarem, in vacuo procul dubio acclamabit. Ne vacui nomen sphyrnis instar quempiam terreat, removebimus Medusæ caput, solum aëre vacuum intendentis; nec hoc intuentibus hirquis transversim excipiat quisquis sit: veritatem ponderet: scrutetur ac revereatur, varia variorum experimenta mathematicæ certitudinis consideret.

XI. Nescio, an non hoc placeret. Tubo vitreo, cuius dimidium a-  
qua

quā repletum, cylindricus alter ingeratur, orificium quomodo etiam vertitur exterior, aquis semper tectum habens. Inclinetur exterior, ut interior tubus aquā penitus impletus præter hanc nil contineat, si restitutus, aquam intra interioris ferminos suspensam hæc videbis ob ærem aquis inferioribus incumbentem, easque prementem. Si autem per adferruminatum ventile ope siphonis aër exantletur, mox eadem aquarum erit superficies subsidentibus superioribus. Cumque quovis motu orificium interioris tubi aquis semper cingatur, dico in tubo interiore futurum vacuum, jam enim nil præter aquam continere supposuimus: Imo readmissus aër summo impetu irruens in aquam, eam ad ipsam interioris summitatē adscendere facit, quod fieri non posset si inter aquam & tubi superiori reperiatur aëris, qui pressus resisteret advenienti lymphæ; Præterquam quod aqua priori suo ingressu aërem obvium deturbaverit; aquis, quæ orificium interioris tubi custodiunt ac tegunt, aërem externum (vel si daretur) arcentibus.

XII. Quod hoc probo experimento: In fonticulo aquis maxima parte oppleto, tantâ quantâ fieri potest copiâ si aëris retenetur conclusus ac compressus, sua pressione aquam per tubulum in ipso hoc constitutum vase, quasi e fonte ejicet; Certo signo aërem aquis se non insinuare easve penetrare sed fisi: Ut Urinatores referunt summam in profundo maris esse tranquillitatem, conflicitibus quamvis acerripi in superficie cum vento undis. Saltem hoc certum quod ob elaterem quem in talè evacuatione ponunt eruditi, minus transire posset. Nec est quod suadat, quo minus in exteriori tubo dicemus vacuum; cum procul dubio quicquid etiam superfuturum sit pno insita vi premente aquam aggreditur; præsertim posita per accedentes sarcis particulas heterogenas dilatatione longe maxima: Ac si non ita, saltem ex parte interiori elevarent aquam ad compensationem vacui in tubo interiore.

XIII. Ast quid multis opus? Et nobis quotidiana arides experientia. Vasa exacte cerevisiâ repleta, nill dato, etiam exitu emittent, priusquam ingrediatur aëris ad compensandum a liquore reliquum spatiū. Sic (ut simus accuratores) vas vitreum, ac studiose præcaveatum aëris ingressus, si que liquor vi egredi cogatur, spatiū omnib[us] aëris vacuum erit. Ceterum quicquid sit de experimento Torricelliano videndi Autores. Saltem nescio, qui posset explicari carnem assatam in recipiente ex hausto & hermetice obsignata conclusam, post duos, tres, pluresve menses, nihil coloris, saporis gustusque perdidisse, si aëris subcalidus ipsam comitatur carnem. Tacco poma, cerasa, uvas &c. posse sic conservari

## DISPUTATIO PHILOSOPHICA

ac muniri quasi contra corruptentis aëris injurias absque ullo mucore & corruptionis signo, illaque producendo intempestive absque ulla Cacodæmonis arte magia exerceri.

XIV. Nec tanti est, quod de exudatione vitri per salem dieitur &c. quasi vero hinc & pro aëre concludendum fore: Cum & aër vesicam transire recusat, quæ dilatatione facta per particulas confluentes exantlato vase disrupetur. Sale autem aequalizato in vesica arcte ligato, exterius vesicæ fundum in aquam si quis immergit, aliquandiu per poros vesicæ aquam trans colari vidobit: signo non incerto particulas ibi dari subtiliores.

XV. Certiores facti nullum in evacuato vase restare aërem, Sonorum autem dari eadem suadet ratio. Campanulam aliudve corpus ~~an~~ tubo inclusum cum chalibeo appendente mallo viribusque applicati magnetis vibrato, sonum satis sonorum producere, reserunt autores. Nec alia desunt: Crotalam cum pistillo vase exantlato indutum, si varia agitatione collidatur, eundem in vacuo quam alter dabit sonum, saltem absque ullo notabili discrimine. Qui autem fiat, tinnientia vase obtusum tantum strepitum in vacuo ad aures nostras deferre qui que pro majori aëris evacuatione sonus debilitetur ac illius admissione augeatur? mox dicemus.

XVI. Hoc tantum asserimus autorem experimentorum Magdeburgicorum hallucinari, qui putat tinnitum fieri beneficio aëris & ob hujus absentiam desiderari: sonum, strepitum & stridorem fieri virtute sonante, quæ aëre ejecto perseverat vitrumque penetrat; adeoque quid incorporeum. Quod jam excussum, addimusque vel spiritum fore vel nihil: Dicere spiritum est dicere rationalem sonum. Nihil dicere & tamen adscribere penetrare, reflectere &c. mira philosophia est.

XVII. Nec parum nobis favet illud Domini Boylei: Qui narrat, se campanulam, quæ duas circiter uncias baseos sua diametro æquabat, vasis indidisse, quo omni exuto aëre, se insignem mutationem circa sonum illum cum priori non deprehendisse. Quod ipsius autoris varium fluctuansque redditum judicium. Mox an non a valida concavæ recipientis partis impulsione quadam convexa illius pars, hincque aër ille vicinus percuteatur: Mox an non forsitan aër subtilior in exantlato vase superstes, duabitans. Illud autem vix credibile ob notam vitri duritatem ramulorumque absque ignis ope inflexibilitatem, quod ita leviter affectum ac delibatum cedero vel pro vario impingentis motu titubare ac tripudiare ignorari: Nec in vento quantumvis acri ac impetuoso obtinere videtur: Nec in aqua tessante ob corpus in jacens undulatione: Insuper nec huic conferret,

qui

qui vacui artifex : Nisi ab alia quadam derivare vellet materiam sonum, quem tamen aëri tribuit.

XVIII. Hoc & vacuum diruit. Tum enim aër subtilior externus per vitra penetrans, semper evacuatū syringe repleret locum. Nec scio an animali mortiferum esset vase exantato includi, cum ut ipse narrat in alpibus altissimisque Armeniæ montibus, ubi procul dubio subtilis satis fuerit aëris, eodem successu saltem non nocituro, spiritum ducere dare tur quam inferius, nisi forsitan tantillo crebrius : Nec mirum cum huic non assueti hi, assuescere possent.

XIX. Imo perfracte nego, posse transire ob instantem undique aërem, qui hunc procul dubio reprimeret. Et Elaterem gratis provocat, quo exigua aëris particula in nescio quantam excresceret molem. Quod toties (parcat precor falso) captum fidemque nostram excedet. Naturæ etenim figuræque aëris oblitus autor, infinitas isti tribuet particulas satis flexibiles ac producibilis, fiduciâ haec tenus nondum probatae rerum sectionis in Infinitum. Præterquam quod aëris qui poris careat, unica sui generis constet particula, asterisci instar, in medio vacua, quæ pro majori ac minori particularum aliarum ingressu, laterum recessu a basi, vel accessu ad eam dilatatur vel coarctatur, ut spongia pro varia aquæ copia se habeat : Verum enim vero quicquid etiam sit, pro nobis stabit, cum saltem tum non ob Elaterem vitri possit penetrare poros.

XX. Concludimus itaque aërem nihil ad sonum qua tales conserre, sicuti nihil ad visum gustumve conferat : Restat particulas in rerum natura dari satis subtilem, omnium etiam penetrationi aptas, quas, cum nomine caruerint haec tenus, & præter omnium opinionem veræ sint, paradoxas vocabimus. Sed, quæso, ne quis præjudiciis suis vietus hunc factum nostrum obruat quovis etiam jure ac injuria, illumque aëri non ita assuetum aëris exponat injuriis, hoc consideret. Sufficere, si hisce omnia soni ac auditus phænomena apte possint solvi ac salvari, quod ab altera parte fieri non posse docent jam tradita, & innumera, quæ intacta mansere. Sic enim aliquando, ut cum nobili loquar Philosopho, aliquid assumendum erit ad salvanda phænomena, quamvis in se forsitan falsum : ut nil erroris ex falsa suppositione timendum. Absit ut hæc alteri imponamus : Legat, si placuerit, sed absque præjudicio precor, nobisque nostrum relinquat Judicium.

XXI. Nec tamen has probandi deest animus : Aquam in vacuo sonum instar lapidum concussorum edere narrant. Jam, in natura haud dari vacuum, certissimum est ; Hoc etenim frustra futurum esset. Quomo-

do itaque evacuetur recipiens, alio statim compleri corpore necesse est; Præfertim cum ignis omnia etiam obvia penetret, qui aulæis remotis post Phœbum exortum ipsas penetrat fenestras, ac cubiculi pingit parietes suo splendore, pandiculantis ac hæsterno inflati jacho oculos seriens. Candens ferrum, vitri, cui inest, cum æstuantibus spectatoribus flagrantes dabit parietes. Heu! Vulcanum in cornu gerere, ridiculum esset, nisi illius meatibus se extricare valeret. Supponimus autem facile primo locum relictum suppleri igne. At hoc, ex animalibus recipienti exantlato inclusis, fidem & veritatem suam mutuatur, quorum viscera tantillum, conflagrata videntur. Nec solo igne, qui ingentis instar flammæ si non tactum, saltem ocalum afficeret, ut è chalibe remoto aëre scintilla: Præter ignem nil videretur, ac ardenteris tota recipientis moles laboraret.

XXII. Admistum quid esse, quod ignem temperat, è foliis Sybillæ haustum arbitror. Quod equidem ab effluviis terrestribus alienum, vitri hand permeantibus poros: ut hujus ope ipsum volatile sal & quicquid sit apte servari possit; nisi mirum in modum forsan laxa sint vitri foramina; sed nec hoc sufficit, sonora sint requiritur; quod magis alienum: quoniam tum, cum ipso vere gremium matris terræ innumeris gravidum effluviis largiter nobis, ea pepererit, soni major deberet dici gradus, quam hyeme, cum Æoli vinculis liberatum Boreas suis terram obstruat frigoribus. Præterquam, quod tum in cœlis, nisi Deus speciali modo provideat, omnis auris evanescet usus. Idem esto de particulis salinis subtilioribus Willisi Judicium, quæ majorem, ac varium pro varia copia redderent auditum. Quod autem salis particulæ duras & solidas esse, ac in vitro, metallis & ceteris corporibus sonoribus copiöiores existere putet, id non tanti puto: cum frigore constiterit aqua, non plus habet salis, quam in statu naturali: tamen duplo magis sonora. Quod plus salis ipsâ brumâ sparsum esse per aërem, ut soni rectius ac meisius percipiatur, dicat: fundamento caret. Salem extracti posse ex aere plurium testatur experientia: Nec hinc inferre licet, salisorem esse aerem hyberno tempore ac proinde magis sonorum. Sit, quidni a vaporum aliorumque corporum absentia hoc derivari posset? sit salis, quidni hoc a pauciorum corpusculorum admixtione ac temperamento?

XXIII. Magneticæ particulæ, quamvis verissimum simul posse ipsa vitri ingredi penetralia; haud tanta tamen aderunt copiæ, quæ ipsum moderabuntur ignem, absque ullo sensibili influxu in præsentia sèpe metallæ. Sed & ad sonum ineptas reperios, si auribus magnes admoveatur, nî s-

ne illius auditu constabit. Magis dissuadet ratio igneis particulis virtutem adscribere sonantem, quæ nimium auris nostræ pelliculæ infestæ, suis eam usui inutilem redderent agitationibus. Nec nocte Priamides suæ Helenæ comitem audivisset vocem, nisi pressione data, quæ absque dubio ipsa afficeret animæ specula. Imo vix audiet, cujus membra, septem trionibus nimium vicina, horrisero domantur Borea. Cæterum pullum parvo etiamnum gaudentem putaminis domicilio respirare, vix dicere auderem: sonum autem in ipso carcere emittere, hisce nostris aliquoties perceperimus auribus. Et in æquore sonum esse testantur Urinatores ac ipsa in squamigeris piscibus experientia, qui Consueti ad sonum campanulæ aderunt. Sed horum Judicium relinquimus lectori: Saltem quod vacuo inclusi emoriantur, nostram non enervat sententiam, quoniam obruti, hisce nostris particulis, ac mirum in modum expansi, cum aëre quem continent, ipsam auram tradere coguntur vi-talem.

XXIV. Nec adversus nos D. Boylæ experimentum concludit: Qui horologium exiguum demta theca vasi vacuo inclusum voluit, narratque hoc pro ingruente evacuatione paulatim sono omni valedixisse saltem sensibili; cujus motus tamen ex indice patebat. Cum sonus ex liquefacto ac cæmentitio illo emplastro mire debilitari debuit: Quamvis crederem hoc horologium præter thecam tegumentum vitreum habuisse; quod cum, ad compensationem vacui in recipiente, illico deserere cogerentur, hæ particulæ paradoxæ, sonus evanuit saltem sensibiliter. Vel urgentibus his nimia copiâ inclusam hanc machinulam, quas exiguo suo motu vix ac ne vix quidem deturbare ac pellere posset: Non mirum si ingruente vacuo & ingruat harum copia, sonusque sensim fiat debilior, ac tinnitus in strepitum solum mutetur ob minorem harum motum ac agilitatem.

XXV. Nec terret nos cessans per anfractuosos meatus vocis modifi-catio modo adstructa. Ita Lucret.

*Quod superest non est mirandum, qua ratione  
Quæ loca per nequeunt oculi res cernere apertas,  
Hæ loca per voces veniant, aurisque lacestant,  
Conloquium clausis foribus quoque sepe tenemus:  
Nimirum, quia vox per flexa foramina rerum,  
Incolmis transire potest; simulacra renuntant:  
Perscinduntur enim, nisi recta foramina tranant:  
Qualia sunt vitri, species qua trameat omnis.*

Cum haec subtilissimae particulae sibi querant faciantque meatus prout possint, rectilineos, qui aere non patent, nec pressioni ignis ob aliqualem tortuositatem congrui. Praterquam quod summe agiles reflectionem quasi negligentes uno oculi iectu transeant: Interim & pro parietis dispositione confunditur aliquantulum vox ac acutior fere auditur, ob subtiliores aliis particulas permeantes. Ut autem nemini arabs videar, sciat a majori minorive harum subtilitate, variaque duritiae ac mollitiae, varium plane dependere soni casum, quem graviorem mox acutiem, alium aliumque animadvertiset unus quisque: non tamen absque varia organi dispositione.

XXVI. Non addo, quod una testudinis pulsata chorda, altera, quae huic similis, & eodem modo tensa, sponte sua vel resonet vel tremeret: Ex sc. quae aut unisonum aut diapason aut aliud habeant concentum. Duo pocula vitrea ad unisonum reducta, alterum si celeriori percussis digito, alteriusque margini inflexam imposueris aciculam, hanc velut ad numeros exsileniem & cum strepitu saltantem videbis. Quae omnia optime nostra hypothesi solvi possent. De his autem ut & innumeris aliis circa auditum problematibus ac animadversionibus, ne in volumen aliquod haec nostra disputatio excrescat, suo tempore otio dato ulterius agendum erit. Jam enim diu Apollo nostras vulsif aures & admonuit ob ingruentia negotia manum retrahere. Nobis gratulamur, si aliquam tantum meriti fuerimus attentionem, sperantes, nisi quis Hypsea cæcior sit vel penitus turgeat loliginis succo, & placitura inventurum. Omnia autem habere memoriam, & in nullo penitus peccare, magis divinitatis, quam humanitatis est, imperator in hist. jur. §. 14. de conf. pand. ad sen. & pop.

## COROLLARIA.

1. Linea curva rectâ longior.
2. Angulus incidentia similis angulo reflexionis.
3. Motus a centro est secundum tangentem diametri.
4. Omnis motus est rectilineus.
5. Et tria in directum jacentia puncta peripheria tangi possunt.
6. Rectius Astronomi a meridiano voxq; ordinuntur.
7. Prope polos habitantes sunt perfecte persicci.
8. Maculae solares falso a stellis derivantur.
9. Diversitas paralaxis a refractione.
10. Jove superior Saturnus.
11. Infinito nihil potest addi vel detrabi.
12. Efficiens sola potest dici causa.

causa. 13. Voluntas cogi nequit. 14. Libertas non consistit in indifferen-  
tia. 15. Spiritus est incorporeus. 16. Anima non est ex iraduce. 17. Ani-  
ma est immortalis. 18. Deus est Spiritus independens. 19. Non datur athe-  
us. 20. Non potest Deus dispensare de lege , quia: ex ipsis fuit natura.  
24. Absolute loquendo non potest punire creaturam innocentem. 22. Dicere  
Deum autorem peccati , blasphemum est. 23. Qui se possint excricare , qui  
peccatum non esse non ens dicunt , videant hi. 24. Deus justus est. 25. Deus  
contradictoria nequit. 26. Theologia naturalis non sufficit ad salutem. 27. In  
tremendis mysteriis non philosophandum. 28. Mundus finitus , creatus ac  
compositus est. 29. Tempus non est aliquid. 30. Motus omnis sit particulis  
igneis. 31. Datur motus intestinorum peristalticus. 32. Fetus eque nutri-  
tur per os quam per umbilicum. 33. Corpus extensem quid dicit. 34. Ius  
natura Deum habet autorem. 36. In Societate omnis actio vel tacitum , vel  
expressum dicit pactum. 36. Non dantur actiones mixtae. 37. Maritus  
sua natura dominius. 38. Ambulatoria est humanae mentis voluntas  
usque ad supremum vite halitum. 39. Quicquid pro derelicto habetur sit oc-  
cupans. 40. Dominus sibi servare potest ius proprius. 41. Magistra-  
tus habet ius necis in subditos directe & indirekte. 42. Iudex debet judicare  
secundum conscientiam. 43. Bellum aliquando licitum , imo necessarium.  
44. Logica est ars. 45. Relatio non mutat res. 46. Ubi , convenit omni  
Enti. 47. Pars rei , non est illius genus. 48. Proprium ne quidem cogita-  
tione separari potest. 49. Et quarta figura admittenda. 50. Nil ex nil  
fieri , nil in nil posse reverti naturaliter statim.



L O F - B A S V I N  
G E B L A S E N ,  
*Ter eeran van de Hoog-geleerde en Schrandere HEER*  
**GOEDTHARD BORGESIUS ,**

*Als hy in de Hooge School van Utrecht tot de hoogste trap in de Philosophie met aller toejuichginge verheeven wierde.*



El aen mijn slechte brein wilt goude verssen digten,  
Sing nu tot eer *van dees* , die sijne glants doet ligten,  
Door 't flickerende licht van *Pallas* heerlijckheydt:

Wiens wijsheydt hem bestraelt, en onder wiens geleydt  
Hy veerdig staat het punt des vyandts te vernielen,  
En acht noch *Platoos* stem , noch *Epicuri* dielen,  
Die haer verwonderen, van sich te sien geveld,  
Door dien , wiens fondament in waerheydt is gestelt,  
Waer op hy heeft gebouwt al dees gesonde reeden,  
Door welk hy tot de trap van wijsheydt is getreeden.

Dat *Pallas* dan met recht hem ciere met de Ring,  
En geef haer Heerlijckheydt aen haren Voedsterling.  
Soo dat door sijne deugt, die luister magh herleven,  
Die *Pallas* eertjds had aen dese naam gegeven.

Beklim 't Catheder dan , beklim *Minervæ Throon* ,  
Beklim het andermael , beklim *Minervæ Soon*  
De aengeboode Trap, dewijl sy soekt te loonen,  
En *U O Jonge Helt* met een Laurier te kroonen,  
Welk schoon-gevlogte kroon sal melden uwe Faem ,  
Soo lang de vlugge tijdt verkondigt uwe Naem ,  
Te zijn , die *Meester* is van alle *vrye Kunsten* ,  
Die *Pallas* U verleent door Goddelijke gunsten.

Wel

Wel aen mijn Sang-godin ; wel aen wensch aen mijn vrient,  
Volmaking van het geen natuur hem heeft verlient.  
Wensch , dat sijn stem eerlang mag van 't Catheder dond'ren ,  
En van onwaerheydt 't geen de waerheyd is affond'ren.  
Wel offer dan 't van God gegevene verstant  
Tot eere, lof, en dienst van onse vaderlandt.

Dit heeft al wenschende  
toegezeigt.

WARMOLD. WOLTERS. GRON.

Symb.

P { ariet  
atentia  
almam

---

HONORI ET MERITIS,

Præstantissimi , Doctissimique Juvenis ,

D O M I N I

GOEDTHARDI BORGESII ,

Cum se in Philosophico Studio , sub Argumento hujus operis ,  
pro Gradu Doctoratus , summisque Honoribus ; Publicæ  
Eruditorum censuræ subjiceret : Dicatum .



Ra tenens Mundi ratio , Specialia rerum ,  
Prodere se jactans , conclusit in arte Patronos :  
At cadit errori ratio captiva , subinde ,  
Ambiguo tutus Doctorum quis Duce fiet ?  
Sat bene , si clarum , non res incognita turbet :  
Quæritur ast , semper nùm sit perceptio noti .  
Concludunt multi , quod sit substantia sola :  
Ipse Deus , sic quid hominum genus , atque animantum ?

Nescio ,

Nescio, num Res sint, vel sint in claste modorum,  
Subjectum quicquid sequitur, res arguit ipsa;  
Est modus, at Res non subjecto clauditur ullo;  
Unde quod extra aliud poterit subsistere Res est:  
Res corpus, Res mens est, subsistentia dicit.  
Est modus in Rebus junctis, aliterque notatis:  
Corporis atque animae mixta est operatio quavis,  
Partibus ambabus si dependentia foret;  
Nec tantum affectus, sensus, formatio mentis  
Esse valent, causam si junctum corpus habebit:  
Ergo Compositi sunt ipsa pathemata, sensus.  
TU quidque mistorum vim pertractare modorum,  
Naturæ Scrutator ades; audirier optans  
Auditum, ponis causas, contraria rumpis:  
Cuilibet id sanè parti, quod convenit addis:  
Debilis, neque ipse auges subjecta sonorum.  
Felices properate dies, applaudite Fanti.  
Pergite Doctorem tutantes, arte beare.

Hæc pauca signa amoris, cum sui  
obligatione inscribit

MICHAEL BUZINKAI, UNGARUS.

Theol. & Phil. Studiosus, b.t.

Hoppe Ultrajectinus.

